

201. Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos,
202. sollemnes taurum ingentem mactabat ad aras.
203. Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta-
204. (horresco referens) immensis orbibus angues
205. incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt;
206. pectora quorum inter fluctus arrecta iubaeque
207. sanguineae superant undas; pars cetera pontum
208. pone legit, sinuatque immensa volumine terga.
209. Fit sonitus spumante salo; iamque arva tenebant,
210. ardentisque oculos suffecti sanguine et igne,
211. sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
212. Diffugimus visu exsanguis: illi agmine certo
213. Laocoonta petunt; et primum parva duorum
214. corpora natorum serpens amplexus uterque
215. implicat, et miseros morsu depascitur artus;
216. post ipsum auxilio subeuntem ac tela ferentem
217. corripunt, spirisque ligant ingentibus; et iam
218. bis medium amplexi, bis collo squamea circum
219. terga dati, superant capite et cervicibus altis.

220. Ille simul manibus tendit divellere nodos,
221. perfusus sanie vittas atroque veneno,
222. clamores simul horrendos ad sidera tollit:
223. quales mugitus, fugit cum saucius aram
224. taurus, et incertam excussit cervice securim.
225. At gemini lapsu delubra ad summa dracones
226. effugiunt saevaeque petunt Tritonidis arcem,
227. sub pedibusque deae clipeique sub orbe teguntur.
228. Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
229. insinuat pavor, et scelus expendisse merentem
230. Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspede robur
231. laeserit, et tergo sceleratam intorserit hastam.
232. Ducendum ad sedes simulacrum orandaque divae
233. numina conclamant.
234. Dividimus muros et moenia pandimus urbis.
235. Accingunt omnes operi, pedibusque rotarum
236. subiciunt lapsus, et stuppea vincula collo
237. intendunt: scandit fatalis machina muros,
238. feta armis. Pueri circum innuptaeque puellae
239. sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.
240. Illa subit, mediaeque minans illabatur urbi.

241. O patria, O divum domus Ilium, et incluta bello
242. moenia Dardanidum! quater ipso in limine portae
243. substitit, atque utero sonitum quater arma dedere:
244. instamus tamen immemores caecique furore,
245. et monstrum infelix sacrata sistimus arce.
246. Tunc etiam fati aperit Cassandra futuris
247. ora dei iussu non umquam credita Teucris.
248. Nos delubra deum miseri, quibus ultimus esset
249. ille dies, festa velamus fronde per urbem.